

Vg
5326





AK. 189.

Vg
5326

AK. 189
17

11, 694

STATUA
MEMORIALIS

Piis Manibus
Divi illius viri

D. MARTINI
LVTHERI

erecta

HOC EST

Vitæ ipsius curriculum rotis
Carminis Heroici

Viris

Magni nominis presentibus
memoriter

Altenburgi introductum

à

IOHANNÉ GEORGIO FORSTERO

Altenburgensi,

ANNO

quò

Hostilis tVrbo penltVs non DogMa LVtheri
eXVperabl.

Altenburgi, Excudit Otto Michaël, Anno 1635.

BIBLIOTHECA
PONTIFICIA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE

V I R I S

*Amplissimis, Prudentissimis, Consultissimis,
Excellentissimis, Clarissimis, Politissimis, Præ-
stantissimisq;*

Dn. IOHANNI GÜNTHERO FORSTERO
provincialium reddituum illust. comitatus Henneber-
gici Præfecto Fidelissimo.

Dn. D. GEORGIO à FREYVVALD, Illust: Ducum
Saxo-Altenburgicorum Consiliario ut gravissimo,
ita meritissimo.

Dn. D. JOHANNI NICOLAO HANVVACCERO
Præfecturæ p. t. Masfeldensis, & Schleusingensis de-
nominato Præfecto vigilantissimo.

Dn. ANDREÆ LOTSIO, Illustrissimo Dn. Dn. Bern-
hardo Duci Saxonæ, Julix, Clivix & Montium, & c.
à Secretis militaribus.

Dn. M. ANDREÆ REYHER Gymnasii Schleusingensis
illust: Rectori Spectatissimo.

*Dn: Parenti, Affinibus, Præceptori, Fautoribus & Pro-
motoribus suis perpetuâ mentis devotæ subiectione ve-
nerandis*

Has quales quales ingenii primitias in gra-
titudinis ac observantiæ filialis sigil-
lum humiliter offert

Autor.

BXimii gravitate viri, virtuteq; magni,
Quos ego submissâ venerabor pectoris arâ,
Non placet innumeras Trojæ producere
cædes,
Nec calamus resonet reboantia tympana
Martis;

Bella sed ista canam, quæ commoda maxima cunctis
Conciliant, Christi qui Martia signa fatentur,
Queis debellavit Lutherus nobilis Heros
Impiger ille Dei falsi documenta Papatus,
Ancipiti Jhovæ quæ vicit cuspide verbi.
Non mihi nunc mens est mutatas dicere formas,
An sint è saxis facti telluris alumni
Post genus humanum fatali strage peremptum,
Hæc non narrabo multis mendacia crassa;
Sed metamorphosin gratam mea charta fovebit,
Quâ Dux magnanimus sinceræ religionis
Confusam cæpit sponsam renovare Jehovæ,
Incllyta quod pietas à nobis postulat ipsa,
Hujus quodq; excelsa jubent benefacta Lutheri.
Herculeum factum multis si laudibus ornant;
Quod stabulum Augiæ purgârit stercore plenum,
Elogiis liceat cur non extollere miris
Lutherum? qui templa dolis spurcata nefandis
Mundavit, nec non sordes disjecit iniquas.
Si Theseus ideò mactatur honoribus amplis,
Quod labyrinthum monstrum prostraverit atrox;

Cur non Lutheri laudemus carmine famam,
A quo Romani devicta est bestia monstri,
Æternâ mentes hominum quæ morte necabat?
Ergo, qui cupitis cœlestem vivere vitam,
Ad delibandas hujus concurrite laudes.
Fortè repurgatæ vestris si mentibus hæret
Relligionis opus, certè divinitus ortum:
Quod si Lutherum flamma nutritis amoris
Siq; DEUM nostrum digno celebratis honore,
Nunc mihi dicenti linguis animisq; favete!

Quamvis sufficeret nobis, hoc scire: Lutherum
Agnovisse DEUM, constanti mente parentem,
Quamvis sufficeret nobis, hoc scire: Luthero
Quod fuerit Christi dilecta Ecclesia mater,
Quamvis sufficeret nobis, hoc scire: Luthero
Majores culpâ vacuos sua fila dedisse
Hujus, cui comites temper suspiria vitæ;
Attamen innumeri Christi cognomine tincti
Has tibi cum possint laudes aptare paternas,
Fac mecum penes perdocta corona Virorum
Uberius dotes hujus, quod facta merentur.

Cum quater & decies centum compleverat annos,
Ac octoginta Titan, conforme triumq;
Annorum spatium Christi natalia festa
Post, splendens decimum læta cum luce Novembrem
Adveheret Phaëton properantibus ecce quadrigis,
Nobis læta dies surgit, quo lumina vitæ
Haurit Lutherus veræ pietatis amator,
Lætitiis merito totam quam dedita Christo
Ac precibus justis debet consumere turba,

Nempe

Nempe Deo memori comportans pectore grates,
Lutherum in mundum nobis quod miserit amplum,
Qui puri purè reparavit dogmata verbi.

Ecce metallifera est Islebia patria tellus
Lutheri, cives ditans virtute probatos
Quod decus insigne est, patriæ cum viscera terræ
A multis propter celebrantur res benè gestas.

Est pater illius Johannis nomine dictus,
Qui sibi quò licitis medijs alimenta pararet,
Æriferæ terræ venas scrutatur ibidem.

Sed se post ortum gnati convertit ad urbem
Mansfeld, quæ prodit longè generosa metalla,
Hunc ubi civis membrum fecere senatus.

Ejusdem mater Margrethæ nomen habebat,
Symbola quæ firmo venerando pectore Christi
Præbebat vitæ speciosa exempla pudicæ
Fœmineæ turbe, virtutum murice clarens;

Gignitur ut corvus crocitanus à turture nunquam,
Natus sic etiam verâ pietate parente
Imbutus, novæ fit rarius osor iniquus.

Porreut genitor propriis alimonia gnato
Sumptibus, assiduis monitis sobolemq; coëgit,
Censpicuos mores huic instillavit ab annis

Primis, qui decus & juvenilia tempora adornant,
Carceribusq; Scholæ patriæ conclusit eundem,
Ut pietatis aquâ pectus purgaret, & inde

Insuper à doctis hauriret prima Magistris
Fundamenta, sagax quæ supposuisse Minerva
Suadet huic, qui vult volitare per ora virorum.
Ille brevi spatio sed cum poluisset ibidem

A 3

Altos

Altos progressus, ac cum pater indolis esse
Sentiret gnatum melioris, mittit ad urbem
Excelsam, intactæ duxit quæ Virginis olim
Nomina, tristatur quæ nunc vitiata dolenter,
Nectare Pieridum grato ut se pascere posset;
Ast ibi quæsiuit Fortunæ turbine pressus
Incertæ panes cantando sæpè per urbem:
Nam quos ad Famæ producit templa Jehovah,
Duriter hos crebrò vernante ætate flagellat.
Anni per spatium Musarum castra securis
Ullam non unquam contrivit segniter hominum,
Et cum degisset vitam tria lustra fluentem,
Est Ilenacum missus, sic patre volente,
Quò cursum ad finem studiorum duceret imum;
Ast egit vitam miseram Lutherus ibidem,
Tandem commovit viduam DEUS illius urbis,
Ut daret illa manu largâ, quæ flagitat usus;
Nubila sed quamvis ipsum pressere malorum,
Attamen hic vitam Christoq; piisq; probavit.

Post annos quatuor lustravit templa Lycei
Publica, Magnifico quod tunc Erphordia sumptu
Dotabat, reliquas inter præstantior urbes,
Quas ambit longo ditata Thuringia tractu,
Et cui Musarum præses formosus Apollo
Præerat, exornans studiosam ritè Juventam
Doctrinis variis, & moribus, arte Sophorum.
Hic ubi cernebat, quod messis plenior artis
Omnigenæ fructus tandem promitteret amplos,
Anni dum vegeti, ne post occasio calva
Ipsam fraudaret, non somnia blanda Vacunæ

Tor-

Torpentis coluit; sed dextro pollice nervos
Ingenii intendit, quò non labor irritus esset
Ardus, & cursum studiorum cum prece multa
Incepit, DEUS immensus quò coepta secundet,
Æternum Numen, sed non pia vota petentis
Cordicitus spreuit, verùm afflamine sancto
Illius cunctas operas benedixit Jöva,
Ut dignus fuerit, cui tempora cingeret alma
Laurus, pileolum rubrum gestaret honoris
Signum, Philosophi decus, ac insignia, Jura
Cuncta reportaret, docti titulumq; Magistri.
Postea non unquam cessavit amare libellos,
Nec sibi persuasit, quasi cuncta scientia largo
Flumine purgasset sapientes pectoris ædes;
Sed magis atq; magis peruestigare vireta
Doctorum pergit studii dulcedine captus,
Evolvit Pares, quos Bibliotheca referta
Continet, Autores hic mentis acumine recto
Volvit, pervolvit, noctesq; diesq; revolvit;
Codices inveniens sed fortè volumina sacri,
Que nunquam vidit, studio scrutatur avaro,
Hinc persentiscit permagnas utilitatum
Divitias, parvo non inflammatus amore
Hunc erga librum, Fac dicit Jhova benigne,
Aureus iste liber me possessore fruatur,
Quem nunquam dignâ poterit mea Musa replere
Laude, piam monstret mihi cum diducere vitam,
Astrææ tandem coelum ductrice Themistâ
Hic subit, Evnomiæ se totum sacrat honoræ;
At socii fidi commotus morte cruentâ,

Et

Tor-

Et fractô coelô transmiso fulmine tristis
Desistit coeptis, ac Juris templa relinquit,
Tractans Magnarum divina negotia rerum
Fit Monachus castus, consensu ast absq; parentum,
Ac semper Dominum, cantu, precibusq; fatigat,
Non sequitur fratres calvaestro vertice turpes,
Qui tantum nati, fructus consumeret terræ:
Hunc contra gignunt odium, flagrante furore
Permoti, durô Monachum vexantq; labore
Ecce probum, quò non meditetur verba frequenti
Coelica conatu; Lacrimas ast inter amaras,
Atq; metum, falsos inter suspiria fratres
Sacros fontes majoris anhelat amoris
Flammâ, continuo non territus ille labore.

Saxo sed hunc fecit Sapiens Fridericus in alma
Arte Professore, quò dogmata sacra coruscis
Doctrinæ radiis sanæ decoraret, & æqua
Augeret ludum modò dexteritate recentem,
Quem dum latifluam Saxo fundarat ad Albim.
Postq; duos annos Romanas appetit oras
Impulsu fratrum, quò Papæ vota secunda
Impetret in gravibus rebus; sed conspicit ingens
Hic scelerum pelagus, cultum fert atq; molestè
Fictitium, Papæ quem fert subjecta caterva.
Hinc reducem Princeps voluit prælargus obire
Sumptus munificos spondens Doctoris honores,
Queis sacra Theologos celebres scriptura coronat;
Hanc ornat Spartam commissam, voce, manuq;
Eusebiæ Divæ invigilans, hanc explicat, urget
Sensum scripturæ, spernens decreta Cathedræ

Roma-

Romanæ statuit: fidei quod robore fulti,
Non meritis nostris cœli possimus adire
Gaudia, Sed quoniam fraudesq; dolosq; latentes
Sentit Pontificis divinâ mente Lutherus,
Non cessat vigiles hinc concumulare labores,
Et curas solitas, malefacta maligna Tyranni
Immanis cognoscens & tentamina stulta,
Ut se rectorem vocitando non modò terræ;
Ast etiam cœli, cœli sanctæq; cohortis
Despiciat Jhovam, cunctis peccata remittens
Orbis se vasti dicat dominumq; potentem,
Et quid non audax faciat? peccata futura
Condonat, pretium si justum solvitur illi.
Auri sacra fames quid non mortalia cogis
Pectora? nam nummis hic vendit cœlica regna
Et demens aliis promittit, queis caret ipse.

Tetzelius Monachus tempus quoq; circiter istud
Profiliit dicens, Papam Æquivalere Jehovæ,
E vinculis animas mox hocce numismate solvi
Inferni, & sic seduxit mutabile Vulgus;
Hoc non Lutherus voluit tolerare protervum
Factum, sacratum cupiens defendere verbum,
Concripsitq; theses, & eas affixit apertis
In templi foribus, Monachum queis sternere posset,
Et quòd non meritum nos, sed fiducia firma
In Christum possit crucifixum reddere salvos,
Demonstrat divi splendenti è lumine verbi.
Stulte quid inceptes? crepat hic Tetzelius, aut quis
Te Genius vexat? dementia stulte Luthere
Quæ nam te cœpit, quòd contradicere sancto

B

Audes

Roma-

Audes Pontifici? nullus cadit error in illum,
Christo qui similis, num fingat inania verba?
Quisnam clamaret: Papam committere culpam,
Sexcentos homines quamvis detrudat ad Orcum
Secum, nam solus dijudicat omnia præsēs
Justus Papa, quis hunc vellet damnare Patronum
Justitiæ? nullis astrictus legibus hic est,
Hic solus sapiens, reliqui velut umbra vagantur,
Desine plura loqui, capiti nam mille pericla
His tibi concilies nugis, mihi crede, Luthere,
E somno fortem noli revocare Leonem,
Dormit; at insolito si tu clamore soporem
Hujus turbabis, miserum te fortiter hostem.
Te capiet, rapiet, te perdet, teq; necabit,
Æquè qui posset tantus perferre Monarcha
Mundi te Momum? rabiosæ fulmina linguæ
Qui placido coqueret stomacho? vix cedit inultum
Hoc scelus; ast illud prædirâ morte piandum,
Dixerat, & mox mox concurrunt undiq; calvi
Hem Monachi, astutæ Jesu-gens atq; suitæ,
Mox parasitus adest, Papæ fex cuncta malorum
Conglomerant enses, & conflant undiq; flammæ
Connectunt laqueos, falsâ stratagemata mente
Producent, Ajunt; hoc num patiamur amici
Ardentes irâ? domitor sit furcifer iste
Lutherus regni, cui tot fera regna ministrant
Papalis? Reges quod nunc supereminet omnes,
Principiis obstandum, nè sincera trahatur
Pars, istud putridum membrum pede non remorante,
Ente recidendum, vel vi, vel fraude, minisvè,

Ferte

Ferte citi flammæ, date technas, pandite fraudes,
Hostis adest audax nostros minuens reditûs, hunc
Angite, frangite, fundite, tundite, morte necate.

Romani Papæ cum Fama volaret ad aures,
Imperiosas ad Fridericum scribere tentat
Hic schedulas, ipsi nostrum Dux iste Lutherum
Ut subitò mittat, fucos sed sentit acerbos
Ille DEI cultor constans, ac hocce recusat,
Sæviùs hinc igitur flammæ Papa exspuit iræ,
Et penitus Divi damnavit dogma Lutheri,
Hujus mandavit quoq; libros igne cremari.
Hoc non curabat, sed contra audentiùs ibat
Lutherus, certum auxilium sperabat JÖVAE,
Augustam veniens lætus, lætus duce Christo,
Ut Cajetano factis animoq; superbo
Ausus incepti justam produceret ansam.
Qui monuit gravibus verbis ac suavis ipsum,
Doctrinam falsam revocaret, quam docuisset.
Verùm non verbis captus prægnantibus hisce,
Nec mortem timuit, nec cum furor impedit ignis:
Euge Luthere tibi non sis faber ipse malorum
Suadeo, sic linguâ tumidâ, sic farier in fit,
Insipiens ubi nam tutus Luthere manebis?
Nam te Magnates, Proceres, velut agmine factô
Cingent, constringent, poteris non salvus abire
Ex horum manibus, penes hos est tanta potestas,
Quanta potest Orbem facillè absterre patentem,
Quidni tu velles tot formidare Monarchas?
Et dicto citiùs sparsos revocare libellos?
Ast hic respondit, non me tua verba movebunt

B 2

Mellea,

te

Mellea, nec Mundi vires ego curo paratas,
Amplius hæc si me Tellus portare recusat,
Me capiet cœlum, quæ vestra potentia Jhovæ
Suffulto clypeo nocumenta referre valebit?
Tutus ero, quamvis ruat æther, & Orcus & Orbis.

Cum Cæsar tandem gustasset pocula Mortis,
Romani Imperii Carolo Imposuere coronam,
Regni Primores qui convocat, atq; Lutherum,
Hic ut doctrinam firmet ratione recentem,
Et se defendat, vel dogmata dicta refellat.

At quid Lutherus; non contremit ipse, sat illic
Lætabundus adest, scit enim quod causa Jhovæ,
Nec ceu Pontifices, hinc inde malagmata quarit
Lucifugæ errori famoso, non fugit ille
Lucem, fertq; palam quæ sit sententia cordis
Constans, W ormatias celeri festinat ad oras
Cursu, cum Carolus conductum spondeat illi
Salvum. Cumq; vident Lutherum, faucibus hæret
Papicolis vox, & tremor artûs occupat omnes,
Fex isthæc subitò mentem conspirat in unam,
Nil intentatum linquit, nil prorsus inausum,
Expuit ecce nihil linguæ nisi sæva venena,
Concremat atq; libros Lutheri, dogmata falsi
Accusat, blaterat; quòd læsa suprema potestas
Cæsaris his fuerit, venientem terror ut hisce
Lutherum caperet, cæpto ne pergeret ausu;
Sed meditaretur tremefactus sponte regressum,
Ne crassos horum Soli insolaret aprico
Errores, fraudis quò sint arcana repôsta,
Non affecerunt ipsum formidine pœnæ,

Nec

Nec motus plagis, Mortem nec abhorruit atram.
Hunc cum constantes adhortarentur amici,
Ne peteret forsan conclusa pericula mortis,
Lutherus spernens allatum consilium, inquit;
Sint ibi Tartaræ quamvis tot numina Lethes,
Quot lateres tectis, ego verò lætus in istos
Insiliam, quoniam firmum mihi Christus Asylum,
Concilium Cæsar, septem Dominiq; potentes
Ornabant, regniq; Duces, & quilibet Ordo,
His coram cunctis murus stetit utpote fortis,
Consentum: fidei certum ratione probavit
Doctâ, Clemens Cæsar ait: non scripta negare
Possum, lativagum quæ divulgata per Orbem,
Ast ego scripturâ victus, vel victor abibo,
Me solum cernis miserum, sed Jhova paternum
Auxilium mittet, quò tutus ab hostibus adsim.

At cum Lutherus retrò vestigia ferret,
Papam quò lateat, Saxo occultavit eundem
Mox Wartenburgi, quem tunc cum Cæsare Papa
Proscribunt, mentem si non revocaret, amaram
Intentant mortem, mala quæq; minantur & ipsi.
Captus non Captus, sic Saxone nempe monente
Delituit, paulum tumidam quò Cæsaris iram
Nec non Pontificis fugeret dirosq; furores.

Albiacum sed cum novus Hæresiarcha Lyceum
Carlstadius peteret, confunderet atq; nocenti
Dogmate turbaret, non ille diutiùs hæret
In Pathmo, repetit Zelò impellent repente
Mœnia Lutherus VVittenbergensia, taxat
Exortas noviter doctrinas, hasq; repellit,

B 3

Abro-

Abrogat & Missam, stolidum removetq; cucullum,
Instituens verbi divinô jure Ministros,
Tum contra Papam scribit, tum lampade sacrum
Ingenii illustrat librum, transponit eundem
In nostram linguam,volvunt quam Teutonis Ora.
Et quis Scriptorum reliquorum puncta valebit
Dinumerare dolos, Papæ queis fregit apertos?

Conjugii tandem liciti juga casta subivit,
Atq; suis sociam associavit amoribus aptam,
Stemmata nobilium claram, probitateq; claram,
Qua cum prolificum Thalamum vidit, genuitq;
Percaros gnatos, dulcem genuitq; puellam,
Relligiosus erat, pius, atq; benignus, in omni
Vitâ, pacificus, sapiens, bonus, atq; fidelis,
Ac facilis spernens non præ se ignobile vulgus,
Præsertim constans, premeret qui fortiter hostes
Verbo Pontifices usq; ad sua tempora vitæ,
In patria donec Leti fabricator anhelus
Morbus postremam Seniori indiceret horam.

Hic ubi sentiret mortis sibi nuncium adesse,
Peccata agnoscens devota precamina fundit,
Expetit, ut posset mortem sentire beatam,
Quos cordis gemitûs DEUS exaudivit, & hujus
Sexaginta & tres his dum numeraverat annos
In terris, animam subduxit ad æthera salvam;
Molliter intereà nunc ipsius ossa quiescunt,
Quæ V Vireberga suo complexu continet, omnis
Donec homo Christi revocatus voce resurget.

Quod nostrum, cuncti devoto corde precemur
Ecce: velit verbum quo contereare sacratum

Ihova

Jhova, ac ad Ieros hoc extendisse nepotes;
Saxonix Ducibus, quorum sub tegmine verbum
Succrescit, velit is largiri Nestoris annos.

*Quod superest, VOBIS nostræ quas quaeso Camenæ
Effingent laudes, Quorum suffulta favore
Musa videt portum? votorum summa sit isthæc:*

SEMPER HONOS VESTRUM, FORTUNA, ET FA-
MA PERENNET!

D I X I.



19. 5326 OH

D I 2 1 0

m.e.



ULB Halle
004 954 386

3



VDA 2





Amplissim
Excelle
 Dn. IOHA
 provin
 gici Pr
 Dn. D. GEO
 Saxo-
 ita me
 Dn. D. JOH
 Præfco
 nomin
 Dn. ANDR
 hardo
 â Secre
 Dn. M. ANE
 illust: R
 Dn:

tissimis,
Præ-
 STERO
 Henneber-
 e: Ducum
 gravissimo,
 ACCERO
 ngensis de-
 Dn. Bern-
 atium, &c,
 usingensis
bus & Pro-
jectione ve-
 itias in gra-
 ilialis figil-
 r.

